

scilicet usque ad aliam respective: *Genitori etc.*?

S. C. resp.: Ad integram stropham. N. 2805 ad 7 die 14. Nov. 1676.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXIV. n. 10. 11. 12. 13.

3) In Missa cantandum.

In elevatione SSmi in missis sol. cani potest *Tantum ergo etc.* vel aliqua antiphona tanti Sacramenti propria. n. 4233 ad 6 die 14. Aprilis 1752.

4) Quomodo cantandum in Officio?

Vd.: *Organ. in Matut. etc.*

TAPETUM (ALTARIS ET THRONI EPISCOPI).

Non licet Archiepiscopo sterni facere tapeta in suis gradibus, quando gradus altaris stant nudi sine paramenti. N. 917 die 5. Julii 1631; n. 928 die 2. Augusti 1631.

Vd. *Pulvinar.*

TAXA.

1) Solvenda pro sepulturis.

Vd.: *Quarta funeralis.*

2) Solv. pro exped. liter. de altare privil.

Vd.: *Indulg. alt.* (Eccles. par. etc.)

3) Pro Param. et aliis Utensilibus.

Vd.: *Utensilia* (taxa).

TE DEUM.

1) Auctor hujus hymni.

Magna de hujus Cantici Auctore controversia est. Plerique, qui ad saeculum XVI. scripsere, Canticum *hocce a s. Ambrosio cum Augustino*, in hujus Baptismo decantatum fuisse statuerunt. Verum id deinde magnae auctoritatis Scriptores negarunt. Ita *Gavantus* in recentiori Merati editione tom. 2. parte 1. ad Rubricas Brev.

sect. 4. cap. 19. ad rubric. 31. pag. 362. in tex. *Gavanti* n. 1. ubi censet esse solius Ambrosii, qui plurimos hymnos composuit. Accedit Merati in novis dissertationibus, observationibus, inquam, p. 363. a p. 1., qui n. 3. p. 374. suspicatur potius esse vel s. Hilarii Arelatensis vel alicujus Monachi Livinensis. Petrus Puricellus in dissertatione Nazariana cap. 69. n. 7. et 8. putat esse solius s. Ambrosii, quod etiam vult Martene ad cap. 2. Regulae s. Benedicti et ad eandem Regulam ibi Petrus Boerius et Thobias Lohner in *Instruct. practica de Officio divino* part. 2. tit. 1. §. 11. Hugo Menardus in notis ad unctionem Regum Francorum tom. 3. Operum s. Gregorii edit. paris. pag. 585. nota 1803 negat compositum et decantatum in Baptismo s. Augustini; de Auctore nil definit, quod idem faciunt Paulus Posca in *Martyrologio ecclesiastico Mediolanen.* ad diem 14. Januarii in s. Datio. Mabillonius tom. 1. *Analector* et in dissertatione de Azymo cap. 6. asserit rem esse dubiam, nec constare, an sit illorum ss. Doctorum. Grancolas *Comment. in Breviar.* lib. 1. cap. 33., Muratorius tom. IV. in Praefatione ad *Histor. Landulphi senioris*, de *Scriptoribus rerum italicarum*, *Raynaudus* tom. XI. tract. de bonis ac malis libris, partitione 1. erotemate X. n. 189. pag. 270. et *Cangius* in glossario verbo: *Hymnus Te Deum*, cum plurimis aliis negant referendum ad Ambrosium et Augustinum; sed cujus sit, non statuunt. *Card. Bona* lib. de divina Psalmidia cap. 16. §. 12. n. 3. innuit, ab aliquibus tributum cuidam Sisebuto Monacho, sed ipse id rejicit; at hanc opinionem secutus est *Natalis Alexander* tom. 4. *Histor.* ad saecul. 4. cap. 6. art. 27. n. 12. pag. 161. edit. Lucensis, sed illud rejicit Merati loco supracitato n. 3. pag. 373.

Luculentam de hac controversia disputationem a doctissimo P. Fabio Davretta conscriptam edidit Romae 1751 Cl. Emmanuel Azevedo in *Dec. suarum exercitationum liturgicarum* p. 190. seqq. Aliqua ex ea promemus.

Nullus certe potiore jure canticum hocce sibi vindicare potest, quam s. Ambrosius, cui passim adscribitur; modo statuam, jam illud fuisse ab Ambrosio compositum atque in Mediolanensi Ecclesia jam decantatum fuisse, antequam de Augustini baptisate cogitaretur. Hanc sententiam, quae *Gavanti* est, Petri Puricelli in dissertatione Nazariana cap. 39. num. 7. et 8., atque Edmundi Martene ad cap. II. Regulae s. Benedicti, eo libentius amplectimur, quia aptissima est conciliare discrepantes Auctorum opiniones, et si non in totum, magna ex parte tueretur communem persuasionem, quae Hymnum hunc Ambrosii et Augustini vult. Dato enim, quod ille, auctore Ambrosio, jam fuerit in usu apud ejus Ecclesiam, non difficile creditur decantatus potissimum fuisse occasione Baptismatis celeberrimi illius, ex quo deinde profluerit nomenclatura illa, quod alio nomine apud populum non audiret, quam hymni ss. Ambrosii et Augustini.

Ad hanc confirmandam sententiam praesto est Ambrosius ipse in *Oratione de Basilicis non tradendis*, ubi ait: „Hymnorum quoque meorum carminibus deceptum populum ferunt Ariani. Plane ne hoc abnuo. Grande carmen istud est, quo nihil potentius, quam confessio Trinitatis, quae quotidie totius populi ore celebratur. Certatim omnes student Fidem fateri, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum norunt versibus praedicare.“ Fateor, hic Ambrosium universim loqui de suis Hymnis; at si potissimum dixero intendisse digitum in Hymnum hunc *Te Deum*, praeter auctoritatem doctissimi Puricelli, me non absurda loqui suadent

1. quod hic loquitur de expressa Confessione Trinitatis, 2. de Confessione, qua praecipue armarentur Fideles contra Arianorum dolos, Filii divinitatem et perfectam aequalitatem cum Patre impugnantes, et 3. de confessione, quae quotidie a populo decantaretur. Concedo, plerosque alios Ambrosii Hymnos in ultima stropha habere breviter confessionem Trinitatis: fateor etiam, eandem confessionem contineri in Ambrosii Hymnis: 'Jesu redemptor gentium: et Deus Creator omnium, et: Splendor gloriae; at nullus ex his inscribitur: Confessio Trinitatis. Canticum vero *Te Deum* expressa est confessio; incipit enim „*Te Deum laudamus, te Dominum confitemur*. Te per orbem terrarum sancta confitetur Ecclesia. Patrem immensae majestatis. Venerandum tuum verum et unicum Filium (vide quam apta sint contra negatum ab Ariani omousian Filii); Sanctum quoque Paraclitum Spiritum. Tu Patris sempiternus es Filius contra eosdem Arianos, Filium factum in tempore docentes. Tu ad dexteram Dei sedes in Gloria Patris; en gloriae aequalitatem in filio, quem Ariani patre minorem praedicabant. Item alios Ambrosii Hymnos, qui offeruntur ad explicanda ejus verba, difficile suaderi potest quotidie a Populo decantatos. At noster Hymnus quotidianae modulationi deputatus apparet. *Per singulos dies benedicimus te. Dignare Domine die isto sine peccato nos custodire*. Igitur si quis verba Ambrosii perpendat, negare non potest, illis exprimi fusorem aliquem Trinitatis et Fidei confessionem quotidie a Fidelibus recitatam: aut igitur haec fuit symbolum Fidei, et hoc non patiuntur verba Ambrosii, aut Hymnus est iste, in quo summa quaedam deprehenditur confessionis Fidei, praesertim circa Trinitatem et Incarnationis mysterium. Atque hinc factum, ut in codicibus

Vaticanis 52. et 85. apud *Thomasium* tom. III. oper. p. 64. inscribatur hoc canticum: *Hymnus in honorem s. Trinitatis*; et in aliis: *Hymnus ss. PP. in honorem ss. Trinitatis*, aut: *Confessio Fidei*.

At inquires cum Raynaudo et Merato: Ambrosius hic loquitur de Hymnis constantibus versibus, carmine etc. adeoque metricis: at hujusmodi non est canticum istud, igitur ad illud ejus verba referri non possunt. At prudenti cuique in verbis Ambrosii facienda magis vis est in eo, quod scribit de Confessione Trinitatis et quotidie decantata, quam in vocibus *hymni, versus, carminis*, etc. Nemo enim est, qui ignoret his nominibus saepe vocari psalmos ipsos, sequentias, symbolum ipsum Fidei, quae omnia metro non constant atque hic idem noster canticus et in plerisque codicibus et ab auctoribus vocatur Hymnus. Quidquid igitur alternatim canendo dicebatur in divina psalmodia, *Hymnus, Canticum, Carmen* vocatum reperitur; *Gloria in excelsis Deo, Doxologia Gloria Patri etc.*, Trisagion *Sanctus Deus*, passim dicuntur: *Hymnus Angelicus: Glorificationis Hymnus* etc.; s. Augustinus in psalmum 148: *Hymnus scitis qui est? Cantus est cum laude Dei. Si laudas Deum, et non cantas, non dicis Hymnum.*

2) Ad installat. noviter creati Canonici.
Vd.: *Installatio* (decr. n. 4274.)

3) Post electionem Episcopi.

Vd.: *Preces pro elect. Episcopi*.

4) Intortitia defer. ad Te Deum.

Vd.: *Intortitia ad elevationem* decr. num. 4064.)

5) In Off. parvo B. V. M.

Te Deum in Off. parvo B. V. M. recitari debere a Nativitate Dom. usque ad Septuages. et a Dominica Re-

surrectionis usque ad Adventum. In Adventu autem et a Septuages. usque ad Pascha non nisi in festis B. V. M. M. N. 3905 ad 1. die 2. Apr. 1718.

6) A quo tempore in Officio recitatur?

Cl. Emanuel Azevedo in dec. suar. exercitationum liturgicarum p. 190 etc. edidit Romae 1751 luculentam disputationem a doctissimo P. Fabio Davretta conscriptam:

„Nullus, inquit auctor ille, quod sciam, ante s. Caesarium Arelatensem, hujus cantici mentionem facit. Hic sectator institutorum monachorum Lirinensium, ut tradit Cyprianus scriptor ejus vitae lib. 1. cap. 4. et 5. episcopatum suscepit circa annum 600 et obiisse creditur 643 ex Labbeo ad Bellarminum de scriptor. ecclesiast. Ejus nepos Tetradius vel Tedritius (seu Teridius apud Caereum) ex ore ejusdem regulam suscepit monachorum circa initium VI. saeculi, de qua Hugo Menardus in concordia regularum s. Benedicti Ananiae Abb. pag. 59. In hac regula, quae habetur in codice Holsten ano regularum ss. PP. part. 2. pag. 93. n. 21. praescribitur qualibet dominica ad matutinas preces recitandum canticum Te Deum; eadem regula habetur n. 2. tom. 15. bibliothec. edit. Paris.

S. Benedictus post s. Caesarium (anno 540) idem canticum inseruit officio monastico ad finem matutini, ut patet ex ejus regula cap. 11. ut in Cod. Regul. Holstenii et etiam in concordia s. Benedicti Ananiae Abbatis cap. 23. in Append. 3. pag. 348. S. Benedictus pater monachorum Occidentis natus creditur anno 480, defunctus circa 543. Lege praefationem Mabillonii ad 1. tom., Acta ss. Ordinis Benedictini num. III. XXVI. XLI. Suam regulam tradidit s. Mauro proficiscenti in Gallias circa annum 541,

unde credimus eam scriptam anno 540. *Officium Mozarabum* laudatum fuit (anno 600) et traditum recitandum toti Hispaniae in Concilio Toletano IV. cui praefuit anno 633 S. Isidorus Hispanensis, ut tradit Roblesius in vita Card. Thomasii pag. 117. At in eo officio praescribitur dicendum canticum Te Deum ad Primam, ut ex eodem Roblesio cap. 25. loc. cit. apud Blanchinum pag. 119. Cumque s. Isidorus non credatur auctor sed instaurator illius officii, patet canticum istud fuisse in usu apud Hispanos initio saeculi VII.

Sed ejusdem mentio est apud *Scriptorem Anonymum* (anno 752) monachum quemdam monasterii s. Germani Parisiensis Episcopi sub Duce Pipino, qui deinde anno 752 regnum suscepit. Scriptor hic tamquam sibi narratam a Carolo Magno scribit eam translationis historiam, factae utique ante annum 762. Et sic loquitur apud Surium in VII. tomo ad diem 25. Julii pag. 596 paulo post medium: „Viso autem tanto miraculo tam Episcopi quam reliqui Clerici, quam magna poterant voce, Te Deum laudamus, Te Dominum confitemur, *praecedentes sanctum Feretrum jubilaris coeperunt*. Eadem leguntur apud Bollandianos tom. VI. Maii pag. 789. in fine n. 5. *Amalarius Fortunatus* Episcopus Trevirensis, qui floruit circa annum 810 in sua Praefatione seu Prologo ad Antiphonarium pag. 223 col. 1. apud Hittorpium de divinis Officiis testatur in Ecclesia Romana decantatum fuisse hymnum hunc ad matutinas preces.

Smaragdus Abbas in celeberrimo commentario in regulas s. Benedicti ad c. 2. vocat hymnum hunc Ambrosianum. Et hic primus est ex scriptoribus, qui indictum aliquod dederit auctoris, cui referatur hic hymnus: quod profecto non est contemnendum. Verum, caeteris omissis, audiamus

Landolphum seniore, qui saeculo X. historiam scripsit a Muratorio vulgatam tom. IV. scriptor. rer. ital. Is ergo lib. 1. cap. 3. ait: „Eodem tempore contigit, ut quidam sapiens, tamen errore Manichaeorum seductus, nomine Augustinus, argumentis dialecticae armatus et postea Dei fidelis et catholicus vivens Episcopus, cum in Ecclesia hyemali non orationis curiositate, neque secundum causam utilem vivendi et audiendi Domini mysteria, sed reprehendendi gratia b. Ambrosium de incarnatione Domini ad populum invenisset tractantem et praedicantem: oblitus sui et suarum omnium cogitationum, pallans et tremens omnibus, qui erant, et videntibus obrigit. Quin etiam, finita admonitione, quam ad populum b. Ambrosius ministrabat, privatim ad eum Augustinus pervenit. At b. Ambrosius cogitans ejus scientiam patefactaque ejus disciplina, quid in arte valeret, qualiter in fide catholica dissentiret et per Spiritum sanctum cognoscens, qualiter fidelis et catholicus futurus esset, placidissime et multum caritative suscepit etc. Tandem nutu divino non post multos dies, sicut multis videntibus et sibi conscientibus palam observaverat, sic in fontibus, qui beato Joanni adscribuntur, Deo opitulante a beato Ambrosio, cunctis fidelibus hujus Urbis adstantibus et videntibus in nomine s. et individuae Trinitatis baptizatus et confirmatus est. In quibus fontibus, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis: Te Deum laudamus decantantes, cunctis, qui aderant, audientibus et videntibus, simulque mirantibus, in posteris ediderunt, quod ab universa Ecclesia catholica usque hodie tenetur et religiose decantatur etc.

Scriptoribus, qui cantici meminerunt, addimus MSS. Codices, qui illud exhibent cum adscripto auctoris nomine. „Hymnus ad Matut. cantatur diebus

dominicis, quem s. Ambrosius et Augustinus condiderunt.“ Ita alter Vaticanus n. 98. „Hymnus, quem s. Ambrosius et s. Augustinus invicem condiderunt.“ Ita Codex Psalterii Palatinus n. 39. quem Carolus Magnus anno 772 Hadriano I. Summo Pontifici dono misit, qui postea ab Hadriano eodem s. Willehado primo Ecclesiae Bremensis Episcopo de anno 778 donatus, in eadem Ecclesia per octo et amplius saecula asservatus, nunc custoditur in Bibliotheca Caesarea, teste Lambecio ad eamdem bibliothecam lib. 2. cap. 5. pag. 294. post numerum 130. et notavit Merati ad Gavantum tom. 2. part. I. pag. 396. column. 2. et Mabillonius in dissert. de Azymo cap. 6. etc.

7) Oratio.

Ad dub.: Quaeritur an preces cum tribus orationibus praescriptae a Rituali Romano post processionem pro gratiarum actione recitari debeant quando cantatur *Te Deum* sine processione pro beneficio obtento vel conclusione exercitiorum vel post processionem SSmi Corporis Christi, vel sufficiat unica oratio *Deus, cujus misericordiae*, ommissis precibus et duabus orationibus? Et quatenus affirmative, utrum sufficiat oratio *Deus, qui nobis sub Sacramento*, si fiat occasione repositionis SSmi Sacramenti?

S. eadem C. respondendum censuit:

Extra casum processionis sufficere versus: *Benedicamus Patrem.*; *Benedictus es.*... *Domine exaudi.*... *cum unica oratione: Deus, cujus misericordiae etc.*

Atque ita rescribere rata est et declarare. N. 5111 ad 3. Die 11. Septembris 1847.

Vd.: *Preces publicae.*

Finito hymno: *Te Deum etc.* accedunt duo Acolythes cum candelabris et cereis accensis et medius inter eos

alter de libro serviens Episcopo... qui versus populum cantat *Dom. vob.*, deinde versus altare: *Oremus*, junctis manibus, deinde orationem: *Concede etc.* *Caer. Ep. l. c. XVI. n. 9. Vd.: Vesp. (Ritus, orat.)*

8) Organum intermiscendum.

Vd.: *Organ. in Matut. etc.*

9) An sit standum?

Quando in gratiarum actione cantatur *Te Deum coram SSmo expos.*, Clerus tam ad altare quam in choro debet stare. N. 4393 ad 17. die 27. Martii 1779.

Per Episcopum stantem ex libro vel memoriter intonato *Te Deum etc.* chorus illum prosequitur, cui et organum intermisceri poterit, dummodo *Te ergo quaesumus etc. exprimat*ur voce clara vel suavi harmonia sine organo, Episcopus et omnes genuflectunt in suis locis. *Caer. Ep. l. II. cap. V. num. 9.*

TE ERGO QUAESUMUS.

(Genuflexio.)

Omnes debent genuflectere in recitando officio in choro ad verba: *Te ergo quaes. — subveni.* N. 2345 ad 14. die 31. (Julii) 1665.

Vd.: *Te Deum* (an sit standum?)

Cum dicitur: *Te ergo quaesumus etc.* Celebrans genuflectit in suo loco et alii omnes similiter. *Caer. Ep. l. II. c. VI. n. 16.*

Quomodo cantandum, quando puls. organum?

Vd.: *Organum in Matut. etc.*

TE IGITUR.

(Modus dicendi.)

Ad dub.: An Sacerdos dicere debeat *Te igitur* in principio Canonis,

dum elevat manus et oculos vel incipere debeat dum est jam in profundo inclinatus?

S. C. resp.: Servanda rubrica de ritu servando in celebr. Missae tit. 8. n. 1. et altera Canonis praefixa. N. 4526 ad 33. die 7. Septembris 1816.

TELEGRAPHUS.

(Benedictio.)

Clerus ex ecclesia proxima vel alio idoneo loco paratus procedit ad locum benedicendi telegraphi cantans psalmum:

Canticum Zachariae Luc. 1.

Benedictus Dominus Deus Israel, * quia visitavit et fecit redemptionem plebis suae.

Et erexit cornu salutis nobis, * in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os sanctorum, * qui a saeculo sunt, Prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis nostris, * et de manu omnium, qui oderunt nos:

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, * et memorari testamenti sui sancti.

Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, * datum se nobis.

Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, * serviamus illi:

In sanctitate et justitia coram ipso, * omnibus diebus nostris.

Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis: * praeibis enim ante faciem Domini parare vias ejus:

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, * in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiae Dei nostri: * in quibus visitavit nos oriens ex alto,

Illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent: * ad diri-

gendos pedes nostros in viam pacis.

Glória Patri.

Cum pervenerit ad stationem, Benedictus intonat Antiphonam.

Benedictus es Domine, qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum, qui facis angelos tuos spiritus et ministros tuos ignem urentem.

Deinde intonat psalm. sequentem, quem clerus vel cantores prosequuntur:

Psalmus 103.

Benedic anima mea Domino: * Domine Deus meus magnificatus es vehementer.

Confessionem et decorem induisti: amictus lumine sicut vestimento:

Extendens coelum sicut pellem: * qui tegis aquis superiora ejus.

Qui ponis nubem ascensum tuum: * qui ambulas super pennas ventorum.

Qui facis angelos tuos spiritus: * et ministros tuos urentem.

Qui fundasti terram super stabilitatem suam: * non inclinabitur in saeculum saeculi.

Abyssus, sicut vestimentum, amictus ejus: * super montes stabunt aquae.

Ab increpatione tua fugient: * a voce tonitru tui formidabunt.

Ascendunt montes et descendunt campi * in locum quem fundasti eis.

Terminum posuisti, quem non transgrediuntur: * neque convertentur operire terram

Qui emittis fontes in convallibus: * inter medium montium pertransibunt aquae.

Potabunt omnes bestiae agri: * expectabunt onagri in siti sua.

Super ea volucres coeli habitabunt: * de medio petrarum dabunt voces.

Rigans montes de superioribus suis: * de fructu operum tuorum satiabitur terra:

Prodúcens foenum juméntis, * et herbam servitúti hóminum:

Ut edúcas panem de terra: * et vinum laetíficet cor hóminis:

Ut exhílalet fáciem in óleo, * et panis cor hóminis confírmet.

Saturabúntur ligna campi, et cedri Libani, quas plantávit: * illic pásseres nidificábunt.

Heródii domus dux est eórum: * montes exeélii cervis: petra refúgium herináciis.

Facit lunam in témpora: * sol cognóvit occásu suum.

Posuísti ténebras, et facta est nox: * in ipsa pertransíbunt omnes béstiae silvae.

Catuli leónum rugiéntes, ut rapiant, * et querant a Deo escam sibi.

Ortus est sol, et congregáti sunt: * et in cubítibus suis collocabúntur.

Exíbit homo ad opus suum: * et ad operationem suam usque ad vésperum.

Quam magnificáta sunt ópera tua, Dómine! * ómnia in sapiéntia fecísti: * impléta est terra possessióne tua.

Hoc mare magnum et spatiósum máribus: * illic repetília, quorum non est númerus.

Animália pusílla cum magnis: * illic naves pertransíbunt.

Draco iste, quem formásti ad illudendum ei: * ómnia a te expéctant, ut des illis escam in témpore.

Dante te illis, cólligent: * aperiénte te manum tuam, ómnia implebúntur bonitáte.

Averténte autem te fáciem, turbabúntur: * auferes spíritum eórum, et deficient, et in púlverem suum reverténtur.

Emíttés spíritum tuum et creabúntur: * et renovábis fáciem terrae.

Sit glória Dómini in saéculum: * laetábitur Dóminus in opéribus suis:

Qui réspicit terram, et facit eam

trémere: * qui tangit montes et fúmigant.

Cantábo Dómino in vita mea: * psallam Deo meo quám diu sum.

Jucúndum sit ei elóquium meum: * ego vero delectábor in Dómino.

Deficiant peccatóres a terra, et iníqui ita ut non sint: * benedic ánima mea Dómino.

Repetita antiphona Benedicens dicit:

Ÿ. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit coelum et terram.

Ÿ. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Concede nos famulos tuos, quaesumus, Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere et gloriosa Beatae Mariae semper Virginis intercessione a praesenti liberari tristitia et aeterna perfrui laetitia. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Oremus. Deus, qui ambulas super pennas ventorum et facis mirabilia solus; concede, ut cum per vim huic metallo inditam fulmineo ictu celerius huc absentia et hinc alio praesentia transmittis, ita nos inventis novis edocti, tua gratia opitulante, promptius et facilius ad te venire valeamus. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Deinde aspergit cum aqua benedicta.

Die 6. Aprilis 1865.

TEMPUS.

1) Celebrandi missam.

Vd.: *Sacerdos* (celebrans ex oblig. propt. populi commod.); *Missam* (hora); *Tabella horaria*.

Romana.

S. Rituum Congregatio censuit concedi posse, ut propter magnam populi et eleemosynarum concurrentiam per-

petuo in Ecclesia B. Mariae ut dicitur de Pianto in Urbe celebrari possint missae defunctorum una hora post meridiem, etiam festivis duplicibus dummodo non sint de praecepto; et literas in forma brevis expediri mandavit, prout officiales dictae Ecclesiae SSmo supplicarunt, qui preces remisit ad ipsam Sacram Congregationem.

Die 24. Novembris 1668.

Anal. J. P. 1865 pag. 1156. num. 1849.

Mutinen.

Rector et administratores Ecclesiae s. Georgii civitatis Mutinen. petierunt facultatem celebrandi missam in praefata ecclesia ratione concursus populi per horam post meridiem, et S. Rituum Congregatio mandavit mihi secretario, quod oretenus eos praemonerem absque ulla licentia licere per dimidium horae post meridiem, scilicet circa meridiem id intelligi posse.

Die 8. Maji 1655.

(Anal. J. P. 1863 p. 328.)

2) Missae vot. sol. celebrandae.

Vd.: *Missam vot. sol.* (hora t. II. p. 245.)

Ad dub. I. An Missae votivae solemnes celebrari debeant post Tertiam vel post Nonam juxta regulam generalem Missarum votivarum?

II: Quum pluries declaratum fuerit sive a Sacra Rituum Congregatione sive a Cardinale Caprara in instructione data die 21. Junii 1804 ad Vicarium Generalem Mechlinsensem praedictas Missas de Epiphania etc. in Dominica infra octavam more votivo esse celebrandas, quaeritur: utrum consequenter Hora solemniter cantata in his Dominicis ante Missam votivam pontificalem debeat esse de Officio occurrente in calendario, prout moris

est, ante alias missas votivas pontificales et sicuti regula generali statuitur in praedicta instructione Cardinalis Legati de Officio his Dominicis tam publice quam privatim juxta rubricas occurrentes recitando? Vel contra morem aliarum Missarum votivarum et per aliquam exceptionem ad regulam generalem a Cardinali traditam, haec hora debeat esse conformis Officio Missae votivae?

S. C. resp. ad I: Post Nonam juxta rubricas;

ad II: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 12. Augusti 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2189.)

3) Intra quod temp. Missa celebranda est?

Vd.: *Missam* (tempus); *Visitatio* (de missae celebr.)

Ex constitut. Canon. reg. Ord. s. Augustini Cong. Colimbric.

Sacerdotes denique magna cum devotione ac reverentia quotidie missam celebrabunt, nisi sint legitime impediti, in cujus celebratione mediam insument horam paulo plus minusve, et horae quadrantem in gratiarum actione. Qui autem sacerdotes non fuerint, quotidie missam audient praeter illam, cui conventualiter in choro adsunt.

Die 17. Julii 1783.

(Bull. r. Contin. t. VII. pag. 150. Ed. Romae.)

Ex constitut. Ord. s. Pauli I. eremitae Congreg. Lusitaniae.

Pius PP. VI.

Sacerdotes nostri, ni justa impediuntur causa quotidie (exceptis tamen quinta et sexta feriis ac sabatho majoris hebdomadae celebrabunt de-